EXERCITATIO MEDICA DE PHTHISIS CURATIONE PER LAC

QUAM

PRÆSIDE

MAGNIFICO DN. PRORECTORE

HENRICO MEIBOMIO

MED. D. EJUSQUE ET HISTORIAR. PROF. PUBL. FACULTATIS MEDICÆ SENIORE ET DECANO ET ARCHIATRO GUELFICO.

FAUTORE PRÆCEPTORE AC HOSPITE ÆTATEM VENERANDO

Publicæ diſquiſitioni ſubjicit

AUTOR ET RESPONDENS

CHRISTOPHORUS MENTE

MINDENSIS

Ad diem VI. Julii. MDC.LXXXVII.

HELMÆSTADI,

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII Acad. Typogr.

PRÆLOQVIVM.

INter graviſſimos & curatu difficillimos morbos eum quoque, vel primo loco, collocandum eſſe, qui cum pulmonis exulceratione, febre & tuſſi, lenta tabe conſumit corpus, & PHTHISIS Medicis vocatur, à nemine in dubium vocari credo, cum non à Medicis tantum id longa experientia deprehenſum ſit, ſed paſſim in vulgus quoque, tot triſtibus exemplis, cognitum extet. Ideoque etiam ab omni ævo maximè ſolliciti fuerunt Medici, ut tanto morbo paria invenirent remedia, in aëre, in aquis, ex vegetabilibus, mineralibus, metallicis, animalibus, & ipſo etiam homine, ſollicitè ea quærentes. Inter illa verò non temerè aliud cum majori ſucceſſu adhibitum, pluribusque encomiis ornatum reperias, quam LAC, tam animalium, quàm mulieris, quo deſperatos & jam in cymba Charontis hærentes Phthiſicos, ſanatos & priſtino vigori redditos referunt, ſive id ratiocinatione indagatum, ſive experimento primum deprehenſum fuerit. Sanè, ſi illis remediis plurimum eſt tribuendum, quæ non heri aut nudius tertius nata, quatuorq; aut quinq; experimentis tantum comprobata ſunt, ſed quæ triginta ſeculorum omniumque nationum in tot hominum myriadibus, jugi & con-

ſtanti & fallere neſcia experientia ſua nacta ſunt encomia, eaque prioribus illis præferenda ſunt, (uti ab omnibus prudentibus merito præferuntur, quicquid etiam de ſuis noviter inventis arcanis plenis buccis deprædicent nonnulli, quæ tamen, inſtar ſolſtitialis herbæ, modo nata pereunt, nec ætatem ferunt) LACTIS Medicina, & quæ cum illo in Phthiſi inſtituitur curatio, reliquis omnibus palmam præripere poterit. Si enim quis ad primos ARTIS Medicæ ſcriptores nobis cognitos recurrat, ſi ad Scholæ Cnidiæ & Coæ ſententias, obſervabit, etiam duas illas primas Scholas Medicas, alteram in Co inſula, alteram in Cnido, quibus aliàs non ſatis conveniebat, quæque in ventorum multitudine inter ſe certabant, in lactis uſu concordes fuiſſe. Ex Cois deinde *Hippocrates* plurimum Lacti tribuit, ſecutique ſunt illum Græci ad *Galenum*, ejusque ſequaces usque, nec minus Arabes & quicunque deinde hos illosve, in occidentem propagata arte, ſectati ſunt. Imo gentes quoque, ſine alia Medicina viventes, Lactis uſum ejus loco habuerunt, uti de Arcadibus ſcribit *Plinius* l. 25. c. 8. *eos non uti medicaminibus ſed lacte circa ver, quoniam tunc maxime ſuccis herbæ turgeant, medicenturq́ ubera paſcuis, bibere autem vaccinum, quoniam boves omnivoræ ferè* ſint in herbis. Clarius id deinde fiet, ſed nunc in anteceſſum, quanti uſus in Italia Phthiſis curatio per lac fuerit, illuſtri exemplo declarare libet. Erat in Italia, in parte Campaniæ maritima, locus quidam, aëris bonitate & pecudum pabulo eximius, unde Lac ipſum medicatum & præſtantiſſimum cenſebatur, quo phthiſicos ſuos Medici amandabant, ut

lactis

lactis uſu priſtinam ſanitatem recuperarent. *Galenus* locum illum vocat STABIAS, ibique collocat, ubi ſinus Surrentinus finem habet, inter Surrentum & Neapolim, in latere verſus Surrentum. Quamvis autem *Plinius* l. III. Nat. hiſt. c. 5. Stabias urbem agri Campani à Sulla deletam & *in villas abiiſſe* ſcribat, videntur tamen ruinæ ejus nomen retinuiſſe, tempore Galeni adhuc, & P. Septimii Getæ Imperatoris, ut vero ſimile ſit ex ejus nummo apud *Patin.* in Numm. ex Ær. Med. p. 317. ubi in averſa parte STABOV. habetur, & vaccæ figura, ad oſtendendum paſcuorum ejus loci ubertatem, uti etiam Stabienſis Epiſcopi in libro fiſci Romani mentionem fieri, & memoriam oppidi ſervari in appellatione Caſtelli Stabienſis, notat Leander Albertus, in Italia. p. 286. Q. *Aurelius Symmachus*, qui medio ſeculi quarti floruit, de filiis ſuis ſcribit, eos Medicorum ſuaſu *Stabias ire deſiderare, ut reliquias longæ ægritudinis armentali lacte depellant.* l. VI. Epiſt. 18. Quicquid autem de urbe ipſa ſit, *Galenus* l. V. Meth. Med. c. 12. locum illum accurate deſcribit ratione ſitus, aëris, & ventorum, notatque collem eſſe exiguum, & conjungere ſe cum alio colle non exiguo, qui Veſuvius vocetur; unde fortaſſis eſt, quod *Procopius* Hiſt. Gothic. lib. 2. in deſcriptione Veſuvii addit, *jam olim tabe exeſos eò à Medicis ablegatos eſſe.* Differt tamen & diſtat à Veſuvio ipſo, ut rectè notat Phil. Cluverus Ital. antiq. lib. 4. c. 3. & quamvis Galeni tempore non habuerit fortaſſis proprium nomen, videtur tamen ſubſecutis temporibus accepiſſe, ut *Mons lactarius* diceretur, propter lactis copiam in animalibus ibi

paſcentibus, acceſſumque hominum Lac eorum ſalutis cauſa bibentium. Eſt enim ſine dubio hic ipſe, qui Lactarius mons vocatur apud *Caſſiodorum*, qui ſeculo ſexto vixit, l. XI. Variar. c. X. ubi Beato Cancellario ſcribit Senator, Regem juſſiſſe annonas præbere infirmis, qui ad montem lactarium pro recuperanda ſanitate venirent, & inſigne illi elogium his verbis tribuit: *Huic ferociſſimæ Paſſioni* (*Phthiſi*) *beneficium montis illius divina tribuerunt: ubi aëris ſalubritas cum pinguis arvi fæcunditate conſentiens, herbas producit dulciſſima qualitate conditas: quarum paſtu vaccarum turba ſaginata Lac tanta ſalubritate conficit, ut quibus Medicorum tot conſilia neſciunt prodeſſe, ſolus videatur potus ille præſtare: reddens priſtino ordini reſolutam paßionibus vim naturæ. Replet membra vacuata, vires effœtas inſtaurat, & fomento quodam reparabili ægris ita ſubvenit, quemadmodum ſomnus labore fatigatis.* Unde patet in hunc locum conveniſſe Phthiſicos, & lac bibiſſe, non ſecus ac ad Acidulas vel Thermas confluere quotannis ægri ſolent ſanitatis per aquas recipiendæ gratia. Uti autem Galeni ævo id uſitatum fuit, ita aliquot dein ſeculis poſt morem illum continuaſſe ex *Symmachi* & *Caßiodori* locis adductis patet; quin longe poſt ad noſtra uſque tempora idem obtinuit. Qui enim ante hos centum circiter annos Clariſſimus Romanus Medicus *Andreas Baccius* doctiſſimos de Thermis libros evulgavit, in quarto eorum p. 260. adducit Galeni locum de Stabiis, additque: *cui ipſa poſteritas, ac noſtra maximè ætas ita conſentit, ut conſueti ſint Medici, Neapolitani præſertim, pro ultimo*

timo refugio ægros, Phthiſicos & qui ſanguinem ex ſpuunt, vel ejusmodi thoracis ulcera & alia vitia patiuntur, ad Tabias mittere, cum ſucceſſu adeo ſalubri, ut ſint, qui totam in iis degant vitam: adeoq́ jam facta eſt magnæ civitatis inſtar, & quæ divortia habet villarum amœniſſima, ac vini generoſitate celeberrima, quod Græcum appellant, ac locum ipſum vulgo il monte della Torre. Deſcribit autem *Galenus* locum illum diligentiſſimè, ut, ſi quis alibi quam in Italia inſtituere curationem per Lac velit, poſſit etiam ſibi ſimilem eligere, quamvis de aëre difficultatem agnoſcat. Vaccas verò eſſe, quarum lac in Stabiis bibant, annotat, herbasq́ue memorat, illo in loco naſcentes, gramen, lotum, polygalon, meliſſophyllon, frutices autem Lentiscum, arbutum, rubum, hederam, cytiſum, unde vires ſuas lac habeat. Apud *Caſsiodorum* l. c. Senator illud imprimis miratur, quod in monte lactario vaccæ ipſæ exiles, & tenues, & tabidæ quaſi, in tam abundanti pabulo, videantur, cum lac earum ſit pingue & hæreat digitis, cum exprimatur in vaſis, hominumq́ue membra pingueſcere faciat. Verum fortaſſis locus hic Stabiarum ratione aëris pabulique habuit quædam peculiaria, quæ alibi reperire vel facere non liceat, aut non niſi magna difficultate: Ideoq́ue ego nunc non illud ſolum vaccinum Stabianum Lac, ſed aliorum quoq́ue & animalium & locorum, phthiſicis & purulentis magno cum ſucceſſu dari, rationibus & experientia confirmabo; Excitatus ad hanc Exercitationem conſcribendam, cum ſuperiori anno Cla-

no Clariſſimus Dn. Præſes in lectionibus publicis de Morbis pectoris Lactis uſum in illis plurimum commendaret, qui dein multis exemplis ejus felicem ſucceſſum mihi confirmavit, cum nullo non anno plures apud ægros ſuos curationes per lac in memoratis affectibus inſtituerit, hodieque inſtituat.

Th. I.

THES. I.

IN hoc argumento, quod tractandum ſuſcepi, duæ quæſtiones reſolvendæ ſunt; prima, an gravi illo pulmonis morbo cum conſumptione corporis laborantibus Lac dandum ſit, ab illoq; curatio exſpectari poſſit? altera, ſi dandum, quibus & quomodo, ut ſalutaris effectus inde conſequatur, exhibendum ſit? Quicunque igitur primam, &, ſi hanc affirmativè reſolvat (uti quidem mihi, rationibus & experimentis inducto facere libet) alteram quoque rectè decidere vult, non morbi tantum, id eſt Phthiſis naturam, ejusque hiſtoriam omnem, differentias, motum, moremque à principio morbi ad finem usque, noſſe & exactè intelligere, ſed etiam medicamenti, Lactis ſcilicet, naturam & varietatem ſcire debet, ut iis inter ſe collatis prudenter dein determinare poſſit, &, an hoc remedium in illo morbo indicetur, &, in tanta diverſitate Phthiſicorum & Lactis, quibus conveniat, vel non, quibus hoc, quibus illud, quove morbi tempore dandum ſit, dijudicare queat. Hoc enim demum eſt non Empiricè, ſed cum ratione & ex arte mederi. Quod cum vulgò non fiat, mirum etiam non eſt, ſi curatio per Lac irrationabiliter inſtituta malè cedat, & præſtantiſſimum remedium, quod *Dei manus* appellari ex *Galeno* poſſit, culpa medentium diffametur, & inter

mortis, ſi non accerſitæ, certè acceleratæ, inſtrumenta numeretur.

II. Ego igitur antequam ad propoſitum ipſum accedam, & Phthiſin & Lac conſiderabo, & primo quidem de Phthiſi, non adulta tantum, & in ſummo faſtigio exiſtente, quando à vulgo quoque, ſignis oppidò manifeſtis, facilè cognoſcitur, & proprie Phthiſis vocatur, ſed incipiente quoque, quando in cunabulis ſuis adhuc hæret, & peritiorum tantum indagini patet, medelam tamen imprimis expoſcit, & per Lac quidem, ut dein patebit.

III. Non poterit autem hoc rectius fieri, quam ſi cauſas illas explicem, tam externas quàm internas quæ pulmonem afficere, & Phthiſin dein inducere ſolent, quæ non uniusmodi ſed variæ admodum ſunt. Cum enim hujus cauſa tantum non ſemper ſit pulmonis exulceratio, illam induci experientia quotidiana nos docet, vel dum ejus vaſa telo aliquo læduntur, vel alia aliqua vi, ut per nimium corporis motum aut clamorem, rumpuntur: vel dum pleuritis, peripneumonia, apoſtemata pectoris & pulmonum, empyema, ulcus in illis relinquunt, faciuntque: vel dum ſerum acre pulmones erodit. Et ad hæc omnia diligenter attendere Medicus debet, ut inter initia, in prima quod dicitur herba, creſcentem tabem deprehendat.

IV. Quamvis enim non omnia Pulmonis vulnera, ſi rectè Medicina inſtituatur (cum gravia ejus vulnera acuto gladio facta, Cl. Dn. Præſes, non aliàs tantum, ſed nuper quoque, me obſervante, integrè, nullo ulcere relicto, quod fieri non poſſe multi putant, curaverit) ad tabem ducant, minores vero vaſorum pulmonicorum

nicorum ruptiones leviore negotio curentur: quamvis etiam experientia doceat Pleuritidem, Peripneumoniam, multosque Pectoris Abſceſſus, Vomicas, & Empyemata, integrè à peritis Medicis curari; tamen, ſi poſt vulnera pulmonis, ruptionesque vaſorum, poſtque prædictos morbos, non integrè convaleſcat æger, ſed tuſſes reſtent, & lentæ febriculæ, & carnes vel non reparentur iterum à morbo, vel flacceſcant magis & depereant, tum Phthiſin metuere, ejusque rationem habere debemus, ne ſero dein medicina paretur.

V. Quando igitur etiam in illis, qui ſero ſanguinis acri præditi ſalſas ad fauces pectusque deſtillationes habent, tuſſes ſiccas & ferinas, æſtivo etiam tempore, diu continuare deprehendimus, ſerique ſalſedinem & erodendi vim in naribus, faucibusque obſervamus, metuere pulmoni eorum debemus, & ne eroſio aliqua vaſorum intus fiat; tanto quidem magis, ſi ſæpius ex naribus citra ullam cauſam externam ſanguis erumpat, ſi florido ſint in genis aut alterutra earum colore, ſi non longè à cibo ſumpto in carpis & volis manuum incaleſcant, ſi parum habeant carnis, ſi in affectus, & ad iram imprimis, ſint valdè proni, ſi etiam in juvenili adhuc ætate, & à Parentibus Phthiſicis geniti, aut etiam pectus exterius non rectè conſtitutum, gibbum ſcilicet alicubi, vel anterius depreſſum, ſcapulasque inſtar alarum prominentes habeant, de quibus *Hippocrates lib. 3. Epidem. ſect. 3. §. 142.*

VI. Et ex his quidem dijudicare futuram & inſtantem Phthiſin licet. Quando autem jam ulcus factum eſt, prodit illa ſeſe iisdem quidem ſymptomati-

 bus

bus ſed in majori jam gradu, aliisque novis, ſputis ſcilicet purulentis, ex pure & ſanguine mixtis, coloris generisque non unius quæ cum violenta tuſſi prodeunt, mane imprimis & veſperi, aliquando etiam ſicca adhuc & graviter pectus concutiente, antequam ſputa ex cavernulis ſuis & veſiculis pulmonum educantur, quibus accedit febris lenta, hectica, conſumens cum calore & anxietate poſt alteram à cibo aſſumpto horam, & cum ſudore nocturno valdè moleſta, intermiſcentibus etiam ſe putridis febribus quotidianarum aut tertianarum typo, per quas tum vires concidunt, tum caro omnis collabitur & perit.

VII. Et hæc quidem omnia ab affectis & exulceratis pulmonibus dependent. Quomodo autem illi, quando præſertim mors inde ſequuta eſt, affecti ſint, & quidem non uno modo, ex cadaverum ſectione diſcimus. Nunquam ferè non ulcera in Pulmonibus Phthiſicorum vel utriusque vel alterutrius lateris deprehendimus, purisque aliquam copiam, ſed aliquando in cavitate pectoris id fluitat, ubi ſcilicet ex Empyemate Phthiſis orta eſt, aut pulmo magnam partem corroſus: interdum id in certis cavitatibus & folliculis hæret, majoribus minoribusque: ſæpè ſimul adſunt tubercula cruda, aliqua ſui parte dura adhuc, aliquâ in pus vel craſſum vel fluidum converſa: quin aliquando partes aliquæ pulmonis totæ duræ & ſchirroſæ, & calloſæ & nigricantes.

VIII. Pus, quod ejicitur in viventibus, & in mortuis diſſectis deprehenditur, non infrequenter ſanguine, grumis etiam ejus, mixtum deprehenditur, ſæpe ſine ſanguinis mixtura, album, flavum, ſubviride,

fuſcum

fuſcum, ſubnigrum, & nunc fluidius, nunc craſſius apparet, illo fere modo, quo in vulneribus partium membranoſarum, nervoſarum, & tendinoſarum pus etiam non uniusmodi, ſed conſiſtentiæ, coloris, & odoris diverſi, ſæpicule fœdum & fætidum, deprehendimus. Quin etiam interdum ex tuberculis illis materia ſebacea, argilloſa, & caſeoſa, educitur, imo gypſo ſimile quid, & calculi reperiuntur. Denique eroſis vaſis, aſperis & levibus, ipſa illa, & cartilagines, &, ut ita dicam, parenchyma pulmonum per fruſtula ejicitur.

IX. Quo plus jam puris adeſt, minusque expectoratur; quo etiam acrius illud & fœdius eſt, eò majores ſunt febres & acriores, totâ maſsâ ſanguineâ à purulentis illis particulis inquinata: tumque non tantum ceſſat nutritio, ſed etiam cachexia oboritur, quæ inferiorum partium tumore imprimis ſe prodit, ut ſuperius tabe, inferius hydrope laborare videantur ægri, accedentibus tandem diarrhæis, quæ inter lethalia ſigna numerantur.

X. His ita breviter de morbo præmiſſis, ad Lactis naturam conſiderandam accedo, ut dein non tantum convenientem Phthiſicis per Lac curationem eſſe, ſed etiam quibus conveniat, & quibus non, quibusque modis cautelisque dari debeat, rationibus & experimentis in eam rem adductis, accuratius oſtendere poſſim.

XI. Multa quidem de Lactis viribus dicere integrum mihi eſſet, & ſunt de eo pleni Diætetici libri, cum & alimentum pariter & medicamentum ſit. Licet autem, ſi velis, & ad curandum morbum commodius judi-

 ces,

ces, & alimento & Medicamento uti, quod Præclare docet *Hipp. lib. de locis in homine cap. 55.* Non ego tamen huc omnia, quæ de Lacte dici poſſunt, ſed tantum, quæ ad ſcopum faciunt, adducam.

XII. Id quidem in univerſum dici poteſt, Lacti, quod ἀνομοιομερὲς, ſeu diſſimilarium partium eſt, variam ineſſe medicinalem vim, partim ſc. demulcendi, leniendi & acria temperandi, partim abſtergendi & laxandi, denique conſolidandi & reficiendi, nutriendique. Quo reſpiciens *Hipp. l. 2. de morb. mulier. cap. 14.* dum in fluxu bilioſo acri, qui pudenda exulcerat, per quadraginta dies Lac bubulum bibendum dat, rationem hanc ſubjungit: *nam & purgatur & nutritur, & fluxus obtunditur ab hujusmodi Lacte.* Non poſſumus tamen etiam calidum Lac dicere, ſed frigidum magis, vel, quod temperatum aliquo modo refrigeret.

XIII. Et tam varia quidem præſtat ratione mixturæ ſuæ, cum, ceu ex ſeparatione partim naturali, partim artificiali, conſtat, Lac plurimas habeat ſeroſas partes acriuſculas, quasdam dulces, pingues, & oleoſas, aliquas terreas & craſſas: ex quibus, prout vel hæ vel illæ prævalent, hæc etiam vel illa vis prædominium accipit.

XVI. Sane ſapor Lactis, qui illi planè peculiaris eſt, docet etiam ipſi peculiarem virtutem ineſſe, ceu ſolemus medicamentorum vires ex ſapore etiam deprehendere & dijudicare. Lubet hoc elegantius *Plinii* verbis, quàm meis proponere. Cum is *Hiſtor. Natur. lib. XIV. c. 27.* in vinis plures ſentiri ſapores, & auſterum, & acutum, & dulcem, & ſuavem, omnes alienos, ſcripſiſſet: *Alterum eſt*, inquit, genus, *in quo ſit*

& alie-

& alienus ſapor, ſed & ſuus quidam ac peculiaris, ut in Lacte. Equidem in eſt ei, quod tamen jure dici dulce & pingue & ſuave non poſſet, obtinente lenitate, quæ ipſa ſuccedit in Saporis gratiam. Talem ſcilicet ſuccum, cui nihil ſimile eſt, cui nihil æmulum dare ars poteſt, præparare Natura mater noviter natis voluit, qui nulla qualitate excedens, nullis viſceribus gravis, ſuavitate & gratiſſimo dulcore ſuo omnia deliniens, tenellæ compagis vaſcula facillimè impleret, & totum corpuſculum molli tomento ſuffarciret, ſeri copia quaqua verſum penetrans, oleoſitate verò ſua nutriens & impinguans. Rectè igitur doctiſſimus Romanorum *Varro lib. II. de Re Ruſt. c. XI. Lac eſſe rerum omnium liquentium, quas cibi cauſa capimus, maximè alibile ſcripſit.* Scripſit id experientia ductus, & ita ſentiunt illam ſecuti Medici. A priori vero etiam demonſtrare, cur Lac ſit præſtantiſſimum corporis alimentum, nuper anniſus eſt inſignis Medicus Toloſanus, *Franciſcus Bayle diſſertatione medica tertia.*

XVII. Cum autem non unius generis Lac ſit, ut certi aliquid deinde determinare poſſimus, quale Phthiſicis conveniat, & quo morbi tempore, & quale huic illive Phthiſico, differentiæ ejus pleræque conſiderandæ ſunt. Petuntur autem illæ primum à diverſitate animalium, quamvis etiam illa à diverſa victus ratione, ſpeciebus animalium certis propria, oriatur & dependeat. Sunt tamen in tanta animalium Lac generantium varietate pauciora quæ in uſum Medicum id ſuppeditant, & quidem contra Phthiſin, de quibus nunc agendum: Muliebre, Bubulum, Caprillum, Ovillum, Aſininum, Equinum, Camelinum. Canino utitur Hipp. in menſibus

ſibus movendis lib. de nat. muliebr. cap. 29. v. 32. ſed tanquam vehiculo ſolum. Laudat quoque ad fœtum mortuum pellendum *Dioſcorides* lib. 2. c. 64. imo tanquam antidotum contra venena: qui tamen in Phthiſi commendaverit, non invenio. Nec male *Galenus* monet *l. X. de ſimplic.* utendum eſſe illorum animalium Lacte, quæ non longè admodum à natura abſint humana, id quod ex carnium odore cognoſci poſſit; canum igitur, vulpium, luporum, leonum Lac eſſe propter diverſam temperaturam & nauſeabundum ſaporem vitandum.

XIIX. Aſininum Lac ſeroſum admodum eſt, & parum habet pinguis vel terrei, ideoque optime diſtribuitur & refrigerat magis, parum autem & tardius nutrit. Habet autẽ ſimul vim abſtergendi & laxandi egregiam, unde in ulceribus internis abſtergendis magnus ejus ab omni ævo uſus fuit. Et hoc quidem habet ratione copioſi ſeri, quod abſtergit & laxat. Neſcio equidem, quid *Stephano Roderico à Caſtro* in mentem venerit, ut ſerum Lactis vim ſuam purgandi à Butyro haberé aſſeruerit, cum, ſi id ita ſit, aſininum butyri inops non ita abſtergeret & purgaret, proinde recte ſub nomine Perſii Trevi eum refutavit doctiſſimus Medicus Romanus *Petrus Servius de ſero Lactis. c. 4.*

XIX. Non coagulatur verò etiam facile Aſininum Lac. Id quod de Equino pariter obſervant Tartari ἱππομόλγοι. *Hippocrates l. 2. de diæta cap. 9.* Equinum Lac Aſinino ſimile facit & plus purgare ſcribit. In uſu tamen Medico hodiè id eſſe non ſcio, quamvis integræ gentes, Scythæ imprimis, & Tartari, id bibant, inque deliciis habeant, ut videre eſt apud Hiſtoricos, præſertim

tim in Itinerario Tartariæ, quod penes *Cl. Dn. Præſidem* MStum eſt, *Guilbelmi de Rubruquis*, qui ante quatuor ſecula partes orientis luſtravit *c. VI.* Camelinum Equino ſimile eſſe tradunt.

XX. Caprillum aliquo modo accedit ad Aſininum, non tamen ita ſeroſum eſt, minus tamen Butyri, quam bubulum habet, conſiſtentiæque etiam craſſioris, quam Aſininum eſt. Melius tamen abſtergit quam bubulum, ideoque ulceribus convenientius, & alvum magis laxat. *Dioſcorides* loco ſupra citato ſcribit, caprillum Lac alvum minus tentare, ratione etiam addita, quod ſcilicet aſtringentibus pabulis, robore, lentiſco, & oleaginis frondibus & terebintho magna ex parte veſcantur capræ: verum conſtanti in noſtris quidem locis (ubi etiam talia pabula non habent) experientia conſtat, caprillum magis laxare, quam bubulum, certe notabilem in eo vim abſtergendi eſſe, patet; quæ quidem cum aſtringendi facultate non temerè convenit. Habet vero hac in re *Dioſcorides* contrarios ſibi, non alios tantum Medicos, ſed Hippocratem quoque ipſum, qui *lib. 2. de diæta, c. 9.* plane ex mea ſententia loquitur: *Lac ovillum alvum ſiſtit: Caprinum vero magis per alvum ſecedit, bubulum vero minus, equinum vero & Aſininum magis ſecedunt.*

XXI. Bubulum Lac pinguius eſt, multumque etiam terrei, & minus ſeri habet, unde & vulgo inde butyrum & caſeus etiam in copia conficitur. Minor igitur in eo vis abſtergendi eſt, tanto autem major leniendi, temperandi, conſolidandi & nutriendi. Quando igitur in corpore acres humores multi ſunt, ut in Podagricis quoque, Lac vaccinum convenire, cum ra-

 tio,

tio, tum experientia docet. Vis etiam ejus leniendi, & anodyna, ab externo uſu paſſim innotuit. Non multum autem à vaccino differt ovillum Lac, craſſius & valde pingue, butyri ferax. *Hipp.* alvum ſiſtere ſcribit. *Cl. Dominus Præſes* vim ejus conſolidandi vaſa laudat, & ubi ex acrimonia ſanguinis vaſa in viſceribus rupta ſunt, in utero imprimis & renibus, magni eſſe uſus, ſæpius deprehendit.

XXII. Solent nonnulli pinguiori Lacti, ut vaccino, detrahere cremorem innatantem ſeu florem, putantque ſimile tunc reddi caprillo vel aſinino quoque, & eſſe ſeroſius, & poſſe in uſu illis par eſſe; cum quibus tamen idem planè ſentire non poſſum, cum quidem minus pingue tum vaccinum Lac maneat, nondum tamen ſeroſiori caprillo aut aſinino viribus par ſit; quin potius illis ipſis ubi detergendum eſt, non vaccino uterer, niſi in ſumma neceſſitate.

XXIII. Humanum Lac ad uſus medicos præ aliis commendatur, dulciſſimumque illud eſſe ſenſui, vis verò nutriendi inſignis in infantibus patet. Pinguedinem multam habet, & conſit etiam inde Butyrum, quod in uſu Medico externo eſt, non ſecus ac ipſum Lac, vimque demulcendi & anodynam habet. *Hippocrates* alias quidem muliebri Lacte utitur, in pulmonis tamen affectibus illud non commendat. At poſt eum alii Medici, tantum non omnes, plenis buccis id in hoc morbo commendant. Similitudinem maximam cum caprillo habere judicant, præferendum tamen eſſe plurimum. Et id quidem Experientiæ potius credo, quam rationi, quam adducere ſolent, quod ſcilicet ſit naturæ noſtræ maxime familiare; quaſi vero ſimi-

ro ſimilibus fieri debeat curatio. Sunt fateor animalia, quorum ut carnes odore ingrato & nauſeabundo præditæ, ita Lac quoque ingratum eſt, ceu th. XVII. dixi, ſunt tamen alia, quæ carnes & Lac habent gratiſſimum. Sane ſi illa ratio valeret, etiam ex partibus hominis medicamenta & alimenta propter familiaritatem naturæ eſſent aliis præferenda.

XXIV. Sicut autem Lac ſecundum ſpecies animalium variat, & hoc ipſum fortaſſis etiam, quia pleræque ſpecies animalium certis herbis paſcuntur (ratione in th. VII. adducta) ita ratione locorum & pabuli, in quibus degunt, quoque veſcuntur animalia, etiam varietatem notabilem contingere, dubium non eſt. Lac enim pabuli naturam habere, tot evidentibus experimentis, quis neget? In Juſtinis montibus Lac pecorum, ſcammonium, veratrum, aut mercurialem paſcentium ventrem & ſtomachum ſubvertere, notavit *Dioſcor. loc. cit.* notavitque de purgantibus etiam *Galenus*: verum non de purgantibus ſolum, majori penetrandi vi præditis, id verum eſt, ſed de alterantibus quoque, & apud nos, tam in Lacte quam Butyro, inde confecto, obſervamus unum altero deterius eſſe ratione paſcuorum, & ſaporem nauſeabundum à ſcordio aliisque herbis attrahere. In Bohemia circa fodinas Kuttenbergicas plantas aridiores & minus vegetas eſſe, vaccasque, quæ circa fornaces paſcuntur, Lac aut inſipidum, aut male olens præbere, notat *Greiſelius Miſcell. Curioſ. German. T. 2. obſervat. 78.* Uti contra in Hollandia, Friſiaque, & locis paſcuorum ratione ſimilibus, præſtantiſſimum & ſuaviſſimum Lac eſt: quo pertinent, quæ in præloquio de Lacte Stabiano diſſerui.

XXV. Peritiſſimus rei ruſticæ *Varro*, cum *l.* 2. *c. XI.* Lactis diſcrimina quædam eſſe, à paſtibus, à pecudum natura, & à mulctu notaſſet, ſubjungit, quod *ab hordeo ſit, & ſtipula, & omnino arido & firmo cibo pecude paſta, id alibile eſſe, ad perpurgandum vero, id quod à viridi paſcuo*, idoneum eſſe. Et hac de cauſa Lac verno tempore potum ſalubrius cenſent *Dioſcorides*, *Galenus*, alii que: & *Plinius lib.* 25. *cap.* 8. Podagricis non tantum Lac circa ver, quando ſuccis herbæ turgent, commendat, ſed etiam vaccinum magis, quoniam vaccæ omnivoræ ſunt in herbis. Fortaſſis etiam aër ipſe non parum ad rem facit. Notabile eſt, quod *Ælianus lib. XV. de animalibus cap.* 7. ſcribit, in India, & maximè Praſſiorum Regione, liquidum mel in herbas & paluſtrium arundinum comas decidens admirabiles paſtiones ovillo & bubulo pecori præſtare, illudque à paſtoribus eò agi, ubi plus de cœlo delabatur, inde vero Lac ſuaviſſimum (περιγλύκιστον) exprimi.

XXVI. Poſſunt igitur animalia, quæ in Medicum uſum trahuntur, ſi non in paſcuis, domi tamen, convenientibus herbis nutriri, ut Lac reddatur medicatum magis & uſui aptius: Mulierem quoque, cujus Lac expetimus, non tantum convenientibus cibis nutrire, ſed etiam quotidiè medicatos ſuccos & decocta vulneraria, quæ totam maſſam ſanguineam pervadunt, ut Lacti inde novæ vires acquirantur, exhibere ei poſſumus, ut deinde dicam.

XXVII. Jam enim tempus eſt, ut ad Lactis uſum in Phthiſicis accuratius determinandum accedam, cum ex præmiſſis ſat luminis affulſurum ſit dicendis. Collato enim Phthiſi morbo, cum remedio ſuo Lacte, facile

cile patebit, eſſe id in ea præſtantiſſimum, omnibusque intentionibus ſatisfacere, accedente dein Medicorum omnis ævi, Lactis uſum in hoc morbo laudantium, experientia. Acrimonia enim ſanguinis, quæ in Phthiſicis eſt, eroſionem pulmonis in plurimis facit, quæque in omnibus nutritionem impedit, & febrilium efferveſcentiarum cauſa eſt, temperari & deliniri deſiderat, id quod à Lactis dulcedine exſpectari poteſt. Ulcus vero in pulmone abſterſionem & mundationem deſiderat, quam ſeroſitas Lactis præſtat. Conſolidari vero, quod in ſua continuitate ſolutum eſt, & collapſa caro reſtitui debet, id quod Lac, maximè alibile, imprimis facit.

XXIIX. Sed jam porro differentiis Phthiſis & Lactis, probe obſervatis, ſuum cuique accuratius aſſignandum eſt. In illa incipiente Phthiſi, quæ poſt pleuritidem, peripneumoniam, aut empyema, ut Theſ. IV. dictum eſt, ſignis quibusdam ſe manifeſtat, cum ulcus mali cauſa ſit, abſtergens Lac, quale caprillum eſt, ſed aſininum magis, requiritur: cujus etiam uſu, ad libras duas manè calide & recenter è capra hauſto ex empyemate tabidum reſtitutum narrat *Hertodius* Miſc. curioſ. An. 1. obſ. 19. Et in muliere poſt pleuritidem ſuppuratam tabeſcente, Lac aſinæ per ſeſqui menſem datum ita feliciter juvit, ut integrè reſtituta per XII. annos adhuc vixerit, in puerperio dein mortua, ut narrat *Franciſc. Valleriola* obſerv. Med. V. lib. V. Aſſeruit quoque mihi *Clariſſimus Dn. Præſes*, ſe in pluribus poſt graviſſimas pulmonis vomicas, cum certo certius in iis futuram Phthiſin ex reſtibili tuſſi & lenta febre, & conſumptione corporis argueret, La-

ctis caprilli, & ex parte bubuli, cura ordinata ita integre ſanitatem reſtituiſſe, & pulmonis ulcus conſolidaſſe, ut de nullo dein pectoris affectu conqueſti, etiam nonnulli eorum Acidulas biberint, quæ ut plurimum latentia pulmonum vitia detegere, excitata tuſſi, ſolent.

XXIX. In metu Phthiſis à deſtillationibus ſalſis acribusque, de quibus th. V. dixi, ſive ſolæ deſtillationes adſint, ſive jam ſputum aliquod ſanguinis præceſſerit, ſine ulceris tamen ſignis, lac bubulum commodiſſimum eſt, cum & temperet acrimoniam, & conſolidet, & nutriat quoque, cui ſi interdum adhuc interveniat ſanguinis ſputum, ovillum quoque intermiſceri poteſt. Nec minus hic commodum eſt Muliebre.

XXX. Quodſi jam poſt ſputum ſanguinis ortum fuerit ulcus, & pus ejiciatur, tum aſinæ lac, caprillum & muliebre, vel unum ex his vel ſimul omnia uſurpari poterunt. Neque enim neceſſe eſt, ut uni lacti præcisè inhæreatur. Et recte *Galenus c. V. Meth. med. c. XII. ubi de Stabiis* diſſerit, improbat quod in illo loco ſolæ vaccæ ſint, quarum Lac ægri bibant, ipſe vero, ſi talem locum alibi eligeret, *& boves & aſinos & capras* in paſcua ſe dimiſſurum ſcribit, *ut lactis variæ ſpecies in uſum vocari poßint, ex bubus quidem craſſum, ex aſinis autem tenue, ex capris mediæ conſiſtentiæ.* Inter Gallos *Rondeletius* celeberrimus Medicus conſil. 80. (inter *Cratoniana*) primo commendat ad abſterſionem Lac aſinæ magis, deinde humanum ex mammis mulieris ad virium reſtaurationem, tanquam aptius corpori alendo; ſecutus Præceptorem *Hippocratem*, qui non tantum *libro de nat. mulier. c. 46.* aſini-

num

num primò ad dies quinque, dein vaccæ ad quadraginta in interna ſuppuratione exhibet, ſed etiam *lib. de intern. affect. c. 5.* in pulmonis affectu primo ſubpurgari vult Lacte aſinino, deinde bubulum & caprinum dari. De Caprillo Lacte, cum aſininum deeſſet, exemplum habet modò citatus *Valleriola* obſ. ſequenti, in Tabido ex hæmoptöe, qui ejus recenter ex animalis ubere mulcti uſu integrè reſtitutus fuit. Nec minus notabilem hiſtoriam reperias apud *Diemerbrock* obſerv. & curat. Medic. 30. ubi vir circiter 34. annorum, corpore inſtar ſceleti tabefacto, continuò tuſſiens, tenaxque pus exſpuens, lactis caprilli uſu ad tertium usque menſem à tuſſi & periculoſiſſima tabe liberatus, intra duodecim annos nihil mali in pectore percepit. De humani Lactis in hoc caſu præſtantia legi merentur, quæ *Platerus in obſervationibus* ſuis habet, imprimis vero Gratianopolitani Granpriſii de puero 14. annorum Phthiſi deſperata laborante obſervatio (inter *Riverio* communicatas) conſideratu digna eſt. Ex Pleuritide enim malè curata empyematicus, hinc Phthiſicus, macie totus conſumptus, fruſtulatim pulmonem extuſſiebat cum fœtore anhelitus cadaveroſo, non ſolum ægrotantis cubiculum, ſed etiam vicina inficiente, qui octavo morbi ſui deſperati menſe, alvi fluxu licet inſigni detentus, lac muliebre ab optimæ nutricis uberibus bibit, & cùm poſt quatuor dies melius habere inciperet, duos menſes continuans integræ ſanitati reſtitutus eſt. Nec abſimile exemplum in phthiſi deſperata nobilis virginis retulit mihi Cl. Dn. Præſes quæ conſilio ejus primo anno muliebre Lac, altera muliebre & bubulum bibens, integrè reſtituta eſt. *Julius Malvicinus* Medi-

cus

cus Venetus in utilibus ſuis collectionibus Medico phyſicis n. 963. ſe ægrotum tabidum annorum ſexaginta Lactis muliebris ex mammis ſuctu mirabiliter ſanatum vidiſſe ſcribit.

XXXI. Sunt vero adhuc non pauca conſideranda circa Lac aſſumendum, ex quo ſcilicet animali peti debeat, qua doſi dari, quamdiu, an cum, an ſine aliis alimentis, an cum medicamentis commixtum, & quæ ſunt ejus generis plura, de quibus ordine videbo. Animal quidem, ſive mulier, à quo lac petitur, quam ſaniſſimum eligi debet: cui nonnulli addunt, ne prægnans iterum ſit, & ne venere utatur, cum Lac inde non parum immutetur, etiam in odore, obſervante *Galeno l. 3. d. alim. c. 15.* Nonnulli ad colorem reſpiciunt, & nigra animalia eligunt. *Ariſtot. lib. 3. hiſtor. animal. c. 21.* Lac fuſcarum fœminarum probat magis. Verum in hac re parum fortaſſis ſitum eſt, uti etiam in eo, an lac ſit à fœmina κουροτρόφῳ, quod tamen requirit Hippocr. lib. de morb. mulier. l. c. 120. De bono potius alimento ipſis providendum eſt, ratione ex ſuperioribus manifeſta.

XXXII. Nutrix igitur & aliquamdiu ante, & dum nutrit, cibis talibus utatur, quæ ſanguini ejus & proinde lacti, calorem impertiri apta non ſint, ſed dulcem potius & lenem reddant, cibis coctu facilibus, carnibus animalium juvenum, juſculis, ovis, ptiſanis multis, oryza & ſimilibus, quæ citra calorem bene nutriunt, cereviſiamq; potius ex tritico magnam partem factam, dulcem, & vini parum bibat. Quin poterit ipſi decoctum aliquod ex vulnerariis & pectoralibus herbis non ingratis cum ficubus & paſſulis aliquoties in

die

die dari: ab affectibus vero omnibus, quantum fieri poterit, libera, ſomno multum indulgebit. Animalium etiam, caprarum imprimis & aſinarum, victus ratio non nihil immutanda fuerit, ut tempore, quo abſterſionem molimur, hedera terreſtis, ſcabioſa, hyſſopus, marrubium, tempore vero conſolidationis ſanicula, alchimilla, polygonum, millefolium, & ſimilia dentur.

XXXIII. De doſi Lactis, & quam diu, & an cum aliis alimentis ſimul dari debeat, aut ſolum, una & eadem opera determinari debet. Sunt autem hic diverſæ ſententiæ, nec uno modo id fieri ſolet. Nonnulli enim, aliquoties tantùm in die, lactis aliquam doſin dant, prandii autem & cœnæ tempore aliis alimentis veſci permittunt, dummodo acida non ſint, & lac prius digeſtum ſit. Alii vero lacte & pane, aut ovis, & inde factis cum lacte cibis jubent ægros ſuos eſſe contenti, ut nullo alio ſucco tum temporis ſanguis perfundatur, niſi ſuavi illo ex lacte, & tanto majorem alterationem percipiat. Quem poſteriorem modum magis probat *Cl. Dnus Præſes*, ægrisque ſuis ſe ſemper hîc auſteriorem præbuit, & minus indulſit, ſed eorum cum fructu. Ducem hic habemus *Hippocratem* qui *lib. 2. de morbis mul cap. 14.* nihil de die præter lac vult aſſumi, cum illud ſatis nutriat, veſperi tantum aliquid indulget. Facile autem patet meliorem tum effectum non tantùm ſperari, ſed etiam multa incommoda præcaveri poſſe, quæ alias ex diverſitate alimentorum oriuntur. Reſpuit quidem multorum ventriculus Lac, ſi ita purum, ſine aliis cibis, toto die ſumi debeat, maxima tamen difficultas in potu eſt præcluſo, ideoque

D vel

vel ptiſana aliqua dari, ſerum Lactis vel emulſio amygdalina ad ſedandam ſitim poterit, ubi vero aquæ potui aſſveverunt, vel puræ illius vel cum Lacte aliquid permitti poteſt.

XXXIV. Facile autem patet in hac lac ſumendi varietate non poſſe de Doſi in univerſum aliquid ſtatui. Qui enim alios in prandio vel cœna cibos ſumunt, non poſſunt nec debent lactis tam multum capere, quam qui ſólo illo nutriendi ſunt. Dum igitur priores ab aliquot unciis ad libram unam aut alteram aſcendunt, hi, qui ſolo Lacte vivunt, ferè indeterminatam illius quantitatem aſſumunt, donec fames ſitisque ſedetur. Neq; vero hi ſtrictè aliquod ſumendi tempus habent, ſed quando libet, illo utuntur, ſecuri extraneorum ſuccorum, quorum confuſio ab aliis metuitur.

XXXV. Uti igitur rectè, qui aliis cibis in prandio vel cœna utuntur, ita lac bibunt, ut diſtributum ſit prius, quàm alios cibos aſſumant, ſummoque mane id faciunt, & poſt concoctionem, & in cibis imprimis eos cavent, qui coagulandi vim aliquam habent: ita quicquid his permittitur, etiam dulce eſſe, ſeu ἄποιον debet, ideoque nec pane ex ſiligine fortiter fermentato, ſed ex tritico dulci, uti debent, & ova tantum & juſcula dulcia carnium, & ptiſanas & amygdalas ſumere. Cum autem hi, dum ſtricto & ſolitario Lactis uſui ſe ſubjiciunt, non poſſint non ſubitam illam alterationem percipere, præſtat primum ipſis aliquot tantum vicibus de die Lac dare, de in ad continuum uſum deducere.

XXXVI. Quod jam tempus uſus Lactis attinet, illi quidem, qui continuo, & nil niſi lac bibunt, intra brevius tempus ad quatuor, quinque vel ſex ſeptimanas,

nas, de ſinere poſſunt, reliqui vero, niſi duos tresve menſes impendant, fructum non ſentiunt. In hoc tamen tempore fruſtra aliquid in genere determinatur, videndumque eſt, quo effectu cura procedat, & hinc conſilium capiendum.

XXXVI. Additur Lacti plerumq; aliquid ſachari ſimplicis vel roſati vel mellis ad impediendam congulationem: de melle tamen monet *Galenus Meth. Med. l. XI c. XI.* illud omittendum eſſe, ne bileſcat, & acrior fiat calor. Poſſunt vero pro re nata medicamenta etiam contra Phthiſin cum lacte dari, aut cum eo partitis vicibus, ſive hectico calori reſiſtentia, ſive abſtergentia.

XXXIIX. Solent interdum obſtructiones alvi lactis uſum ſequi, quæ Laxantibus & lenibus purgantibus mox ſolvendæ ſunt, Rhabarbaro ad ℈j in primo hauſtu lactis & circa veſperam iterum exhibito. Nec minus ex manna & foliis ſennæ aliquid dari poteſt. Clyſteres quoque cito juvant.

XXXIX. At majus eſt in alvi fluxu periculum, qui jam tum debilitatos planè dejicit, cui maturè occurrere debemus. Statim igitur, ubi illa advertitur, Lac chalybeari, minus ſeroſum dari, coqui & dein medicamenta abſtringentia adjici debent. *Rhaſis l. 9. c 14.* peculiarem ad eam præcavendam Pulverem commendat, de quo commentatores ejus magno numero agunt. Bolus Armena & C. C. uſtum egregia ſunt medicamenta, poſſuntque in pulvere exhiberi & cum aqua hordei coqui, & cum ea emulſio amygdalina fieri. Gelatina Corn. Cervi etiam hic laudem meretur, ſi præſertim Ichthyocollæ aliquid additum fuerit.

XL. Sumitur autem Lac utiliſſimè tepens & non alteratum, uti ex mamma educitur. *Galenus* Lac muliebre eo nomine omnibus aliis, cum *Euriphonte & Herodoto* præfert, quod ex ipſa mamma inalteratum ſugi poſſit; jubet etiam aſinam in ipſum cubile ægri introducere, ut minus alteretur Lac, antequam bibatur, monetque *l. VI. Meth. Med. c.6.* ut quam minimo temporis ſpatio in aëre ſit, quippe cujus natura non minus alterabilis quam ſeminis. Cum tamen ita ſemper tepens & in alteratum haberi non poſſit, caleſieri ad ignem poteſt: nec malè monet Doctiſſimus Hippocratis commentator *Proſper Martianus in l. 1. de Morb. mul. p.. 205.* multa ſuperflua & ſuperſtitioſa circa Lactis curam à nonnullis adhiberi, quæ negligi poſſint.

XLI. Quæritur etiam, an à lacte motus, an ſomnus conveniat? qua in re ipſi Medici inter ſe non conſentiunt. Laudaverim vero levem aliquem motum ad diſtributionem Lactis, ſi æger adhuc ſit viribus integris, quod ſi vero debilis, & ad ſomnum poſt lac aſſumptum incliner, nullo modo illum prohibuerim cum contra ſentientes præclarè refutaverit Nobiliſſimus *Septalius l. VI. caution. & animadv. §. 162.*

XLII. Anni tempus ſolent plurimi vernum eligere propter rationes jam tum ſupra adductas, id quod tamen ſimpliciter neceſſarium non eſt: jucundius tamen Lac tum bibitur & melius diditur, ſed ſi ſemper exſpectare vernum tempus vellemus, ſæpè moreretur æger ante illius adventum. Poſſumus vero etiam ſingulis annis ſemel curam Lactis inſtituere, ſi prima vice non integra ſanitas acquiratur.

XLIII. Tem-

XLIII. Tempus morbi quodnam ſit optimum ex ſuperioribus jam tum aliquomodo patet. Prævenire ſcilicet Phthiſin ipſam Lactis curatione oportet, nec exſpectare, donec ad ſummum gradum pervenerit, cum lethalibus jam ſignis apparentibus fruſtra detur, & præſtans remedium tantum diffametur.

XLIV. Hæc vero clarius patebunt, ſi illorum argumenta, qui Lactis uſum, cum aliàs, tùm in Phthiſicis damnant examinemus. Nonnulli ſanè ita ma e loquuntur de Lacte & tam inſalubre cenſet, ut ne pro alimento quidem bono, ne dum pro medicamento admittere velint. Et vehementer quoque more ſuo declamat omnis priſcæ eruditionis hoſtis & imperitisſimus cenſor *Helmontius tr. de Infantis nutritione ad vitam lougam* contra lactis uſum in infantibus. Videmus tamen non tantum Naturam ipſam ejusque auctorem Deum hoc alimentum teneræ ætati in homine & animalibus præparaſſe, ratione interim non obſcura, cur quidem Infa ntes male habeant, dum lactant. Nec minus notum eſt, integras gentes fuiſſe & hodieq; eſſe γαλακτοφάγους, quarum ſanitas reliquis gentibus palmam dubiam facit. In Medicina vero quantus ejus à tot ſeculis uſus fuerit, non niſi illi ignorant qui priſcæ omnis medendi rationis ignari ſunt. Recte ſcribit *Martianus l. c. antiquitus Lac fuiſſe velut ſacram ancboram & omnium remediorum Caput, ita ut vix ullus eſſet morbus in quo Lac non adminiſtraretur.* Et Doctiſſimus *Joh. Jac Wepferus*, inter primos ſeculi noſtri Medicos merito numerandus, *ita in Epiſt. ad Verzaſcham: Certè divini aliquid in Lacte latet: id*

 ante

ante hac nunquam credidiſſem, niſi id ſenſibus comperiſſem. Vidi bis meis oculis quaſi novos homines inde factos fuiſſe: nam legitimo ejus uſu habitum firmiorem, colorem nitidiorem, & vires robuſtiores plurimi acquiſiverunt: quin etiam ab illo ſymptomata hypochondriaca & nephritica auferebantur, quod quibusdam incredibile videtur. quos duos præſtantiſſimos viros *Helmontio* aliisque Lac damnantibus oppono, qui non amant, nec laudant niſi medicamenta, quæ in parva doſi tanquam ſecreta jactare, vendere & mundum iis decipere poſſunt,

XLV. Id vero imprimis urgent Lactis adverſarii, non convenire id in febribus, quæ tamen in Phthiſicis nunquam non ſint. Verum cur hecticæ febri non conveniat Lac, equidem haud ſcio. Legi ſane in hanc rem meretur *Valeriola obſervation. 6. l. 9. de fœmina* quæ poſt febrem ardentem lenta tabe conſumpta Lactis aſinini uſu reſtituta eſt. Cumque negare non poſſint exempla illa Phthiſicorum Lactis uſu curatorum, illos febre laboraſſe, & nihilominus cum fructu lac bibiſſe fateri coguntur. De febribus putridis, quibus aliquando Phthiſici laborant, fateor aliter ſe rem habere, nec tamen video, cur non in illis quoque dari ſeroſius lac, ut aſininum, poſſit. Quam in rem notabile exemplum habet *Hertodius* Miſcell. Curioſ. Ann. 1. obſerv. 22. Tutiſſimum autem arbitror, in talibus febribus putridis conjunctis probè prius expurgare Phthiſicorum corpora, & dein lac dare ut fecit *Riverius cent. 2. obſerv. 78.* Scio, quid de febre, lactis uſum impediente, ex Hipp. Aphor. objiciatur, verum rectè jam tum *Celſus l. 3. c. 22.* de acutis &

tis & bilioſis id interpretatus eſt, in longis vero difficilibusque febriculis rectè lac dari cenſuit. Neque vero quicquam obſtat, cur non cum Lacte ſimul antifebrilia Phthiſicis dentur. Et ſi propter febrem præſentem Lac grumeſcat, aut bileſcat, corrigi id quoque idoneis remediis poteſt.

XLVI. Non minus alii vel obſtructionem alvi, vel diarrhæas in Phthiſicis metuunt, ſi Lac uſurpent, & poſteriores quidem imprimis, maxime etiam ex Hipp. præſagio lethales. Jam tum vero ſupra dixi corrigi utrumque ſymptoma poſſe. Neque vero adeo malum eſt, ſi per alvum in Phthiſicis Lac ſecedat. Quamvis ubi colliquativa illa diarrhæa, in perfecta Phtiſi merito inter funeſta ſigna collocata, accedat, non ſuaſerim ut temerè Lac detur. In illo tamen memorabili exemplo ſupra ex Granpreſio adducto, diarrhæa jam in confirmata Phthiſi præſente, nihilominus cura Lactis feliciter ceſſit.

XLVII. Expectorationem per Lactis viſcidi uſum inhiberi fruſtra ſibi etiam perſuadent, cum præſertim liceat cum Lacte uſurpare nihilominus ſyrupos, & decocta expectorantia, dummodo acidi illis nihil admixtum ſit, & ita præcavere ſputorum ſuppreſſionem.

XLIIX. Interim fateor, eſſe interdum Phthiſicorum corpora ita impura, acribus & acidis humoribus in hypochondriis plena, ut cum ſucceſſu, & citra majus periculum Lac illis dari nequeat, quod prudentis Medici eſt dijudicare. Uti etiam non nulli ita averſantur Lac, ut in quantitate juſta nauſeabundus venticulus non admittat, quibus proinde etiam dandum non eſt.

XLIX. U-

XLIX. Unam mihi ſub finem objectionem ipſe formo, ab aliis non propoſitam, contra Lactis in Phthiſicis uſum. Cum nimirum ſupra dixerim Theſi VII. eſſe in illis interdum pulmonem durum, ſcirrhoſum, & in tuberculis materiam pultaceam, argilloſam, tophaceam, lapideamque, non patet quomodo in tali caſu juvare Lac poſſit, fortaſſis tamen id frequentius evenit quam quis putet, nec ſigna hujusmodi conſtitutionis ſunt manifeſta. Fateri autem cogor; hanc eſſe illam conſtitutionem, in qua minimè omnium juvat, quamvis ſeroſius Lac forte idem præſtare, quod alia abſtergentia poſſit. Signa autem ita affecti pulmonis eſſe puto gravem & anhelam, etiam citra motum extemum & febris effervescentias, reſpirationem, dum dura pulmonis apoſtemata ejus dilatationem impediunt. Hos vero Lac non juvat: ſicut etiam fortaſſis omnia alia medicamenta parum. Neque ego aſſerere audeo, omnem omnino Phthiſin poſſe Lactis beneficio curari, ſed eſſe Lac præſtantiſſimum inter omnia in Phthiſi curanda remedium, quodque aliquando poſt plurima alia adhibita adhuc juvet, juſto vero tempore & convenienter datum raró fallat. Id quod etiam me ſufficienter probaſſe confido.

SOLI DEO GLORIA.